

Handwritten text in the top left corner, possibly including a page number or title.

Small handwritten mark or number at the top left edge.

Small handwritten mark or number on the left edge.

Small handwritten mark or number on the left edge.

Small handwritten mark or number on the left edge.

Small handwritten mark or number on the left edge.

Small handwritten mark or number at the bottom left edge.

Large, faint, illegible handwritten text or markings in the lower-left quadrant of the page.

FELICITER!
 DISPUTATIO JURIDICA,
 DE
DOMINIO EJUSQUE
 MODIS ADQUIRENDI
 NATURALIBUS,

QUAM
DEO PRÆEVNTE

SUB PRÆSIDIO

Amplissimi Consultissimi Viri,

DN. GEORGII-DAVIDIS LOCAMERI,
 Jcti. IN INCLYTA ARGENTORATIENSIVM
 Academia Pandectarum Professoris celeberrimi, Patroni
 & Præceptoris sui jugiter hono-
 randi,

Discutiendam Publicè proponit,

Ad diem Augusti.

JUSTUS Wilsstein / Martismontano-Westphal.

PLINIUS


Ingenui est animi, fateri, per quos profeceris.



ARGENTINÆ

Typis JOHANNIS RËPPII.

ANNO M. DC. XXXV.



ILLUSTRISS.^{rum} ET GE-
NEROSISS.^{rum} COMITUM in

Waldeck / Dominorum in Pirmondt &
Zonna &c. Cancellario gra-
vissimo,

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimoque,

DN. ZACHARIÆ VIETORI, Jcto celeberrimo.

UT ET

Viro Præstantissimo & Doctissimo,

DN. JOHANNI Butterweck / J. U. C. eximio.

NEC NON

Viris integerrimis,


DNN. JOHANNI }
& } Bilstein / Fratibus dilectis.
HENRICO }

*Dnn. Mæcenatibus, Patronis, Promotoribus,
Fratibus, summo observantia & obse-
quii cultu et atem prosequendis.*

Exercitium hoc Academicum

D. D. & O

Justus Bilstein.



QUOD FELIX FAUSTUM QUE DEUS ESSE JUBEAT.

THESIS I.

Nos disputaturi de DOMINIO, veteris illius oraculi sumus memores: (quod Plutarch. adfert in *comm. de Isid. & Osyrid.*) eos sc. qui rerum vocabula rectè intelligere non curent, in rebus quoque ipsis facilè errare. Itaque in nostra disputatione primam (*exempl. l. 1. pr. ff. de R. C.*) curam verborum, rerum volumus esse sollicitudinem.

2. Quæ verò cura; tum vocis distinctionem; tum eiusdem definitionem continet. Illa circa *ἐπιωνυμίας* explicationem occupatur. Quæ si negligatur, dubium erit, *ut ait Arist. 5. Top. 2.* utrum dicere velimus eorum, quæ declarantur eo verbo, quod multis modis dicitur. Quod errori affine est. Scalig. *Ex. 148. f. 4.*

3. Variè autem DOMINI vocabulum sumitur: I. pro convivio dicebatur apud Veteres, *ut ex Cic. Cujac. lib. 11. obs. 12.* demonstrat. II. Pro possessione id poni *in l. 15. C. de Rei Vind.* per metonymiam effecti, placet Gœddæo, *ad l. 78. n. 3. ff. de V. S.* Sed interpretatione non necessariâ. III. Pro imperio aut jurisdictione isto verbo, Barbari abutuntur. Giphani, *ad Rubr. ff. de Adq. rer. dom. num. 4.* IV. Nonnunquam Domini appellatio reverentiæ & honoris titulum notat, *l. 37. §. 5. ff. de legat. 3. l. 26. ff. de const. pec. l. 27. ff. ad L. Falcid.* V. Sæpè etiam dominus dicitur, ad quem res quæcunque quocunque modo pertinere potest, *ut cum procuratori opponitur, l. 1. pr. l. 8. §. ult. & pass. ff. de Procur. Accuratiss. IC. Just. Mejer. th. 2. Diss. de Domin. Propriè ut sumatur infra th. 8. patebit.*

4. Distinctionem excipit vocis definitio, explicationem ejusdem vel ex origine, vel per æquipollens exhibens. Illïc Etymologia expenditur: hïc Synonyma consideranda veniunt.

5. Alii ex fonte Hebræo vocem istam derivare satagunt, Beckman. *in verb. DOMINUS. De orig. ling. lat.* Giphani, *d. Rubr. n. 4. ff. b. t.* Alii ex Græco. P. G. Tholos. *cap. 12. n. 2. lib. 1. Syntag. jur. Univers.* à verbo *δυνατός*. Alciatus *ἀπὸ τῆς δυνάμεως*, *in l. 17. §. 1. ff. de Adq. & am. poss.* Hos suo sensu abundare sinimus. Rectius DOMINIUM à domino dici, haut

haut dubium; dominum verò à domo appellari verisimile est. Quo
facit *l. 195. §. 2. ibi. in domo dominium. ff. de V. S.* Et illud *Cicer.* Non
domo dominus; sed domino domus honestanda est. Imò hanc ve-
rissimam nominis originationem esse, fatetur, *V. G. Forster. in tr. de*
Domin. c. 1. n. 2.

6. Synonyma DOMINI sunt, I. Dominatio, *l. fin (ubi sic le-
git. Cujac.) C. de cens. & censit. lib. 11. t. 57. l. 78. ff. de Adq. hered. l. 64. ff. de*
condict. indeb. II. Proprietas, *l. 10. §. 2. & l. 13. pr. ff. h. t.* III. In bonis &
ex bonis esse, *l. 1. pr. ff. de rer. divis. l. 1. pr. de usu & usufr. leg.* (quæ tamen
alibi aliter usurpantur, Dominus Præses *ad pr. Inst. h. t. lit. B.*) IV. Pa-
trimonium, *pr. inst. h. t.* V. Interdum & proprietas possessionis ver-
bo significatur, *l. interdum. 78 ff. de V. S.* VI. Germanis Eigen. *hu. mb.*
Giphan. ad d. Rubr. n. 8. ff. h. t. Ast hæc potiora.

7. Verùm ne omnis disputatio verbosa potius futura sit (ut ait
Imp. in pr. 1. Quod cum eo & c.) & λογισμαχίαν videamur. dirigemus ser-
monem ad definitionem, quæ Philosophis appellatur rei sive sub-
stantiæ.

8. Variis autem variæ sunt definitiones, & vix ulla in re major,
quàm in hoc capite, dissensus. Nobis præ reliquis hæc arridet: Do-
minium est jus, (a) quo res corporalis (β) alicujus propria (γ) est. (δ)

9. (a) De quo nemo dubitavit, *Gædd. ad l. 49. n. 7. ff. de V. S. &*
rectè, l. 2. C. de prescript. 30. & 40. ann. l. 5. pr. ff. si usufr. pet. l. 14. C. de
fund. patr.

10. (β) Tantùm, per text. *l. 4. ff. Comm. divid. & pr. Inst. de inutil.*
stipul.

11. (γ) Quibus φλυαρίας Anabaptistarum Platoni. Sectario-
rum, quas de rerum communione somniant, excludimus. Posse
enim Christianum illæ sâ conscientia, PROPRIUM tenere (sic so-
nant verba *Aug. Confess. artic. 16.*) nostræ Ecclesiæ magno consen-
su docent, *d. artic. 16.*

12. (δ) Quo modi acquirendi, ut usucapio, donatio & c. reii-
ciuntur, quibus potius res non tam EST, quàm FIT propria. *Tim.*
Faber. Dissp. 12. th. 1. lit. A.

13. Expositâ definitione, ordine progredimur ad divisionem.
Et constat, olim dominium fuisse duplicis generis; Quiritarium &
Bonitarium. At cum Justinianus hæc antiquæ subtilitatis ludibria
per decisionem expulerit, *l. un. C. de Nud. jur. Quir. toll.* nolumus eo-
rum descriptionibus chartas illinire.

14. Dd. tamen hodiè multiplices fingunt divisiones, I. Divi-
dunt

dunt in civile & naturale. II. In directum & utile. III. In plenum & nudum vel minus plenum. Et quas non comminiscuntur? Quid nos? Primam divisionem, nullo textu juris & fundamento niti, dicimus cum Vultej. *Inst. de R. D. ad pr. n. 24.* Et II. Dominium, qui aliud directum, aliud utile faciunt, magno errore labuntur, Cujac. *11. obs. 25.* Tertia ut ut *ex l. 4. vers. Modestinus: ibi, pleno dominio ff. de alimen. & cib leg. probari videatur: Est tamen quod reponamus, non hoc dici πρὸς διαστολήν, sed κατ' ἐξαιρέσειον.* Vel melius, non esse divisionem generis in species. Magis enim & minus specie non faciunt differre, secundum Logicos & Dd. *in l. 11. ff. quemadm. serv. amitt. l. fin. ff. de fund. instrum. leg.* Eleganter *Acutiss. IC. Just. Mejer. Disput. de Culp. th. 92.*

15. Quid ergo? Nulla divisio reliqua? Nulla, quæ sit generis in species veras, sed ipsum dominium infimæ speciei nomen esse, arbitramur, cum *Ampliss. & Consultiss. Dn. D. Bitsch. Præceptore & Patrono jugiter venerando. th. 3. Disput. de Domin.*

16. Ne tamen nimium simus rigidi, divisionem domini directi & utilis propter usum ferentem, neque contemnendam neque ignorandam censemus

17. Porro diximus *supra th. 8.* Dominium esse jus: cum autem hominum causa omne jus constitutum sit, primò de personis, quæ dominium S I B I acquirere possint, dicemus, *argum. l. 2. ff. de stat. homin.*

18. Ut quis S I B I adquirat, duo requiruntur, voluntas & facultas: voluntatem & affectum ex utraque parte requirit, *l. 55. ff. de O. & A. l. 36. ff. h. t. tum transferentis, tum adquirentis.* Vultej. *ad pr. n. 26. Inst. de R. D. Giph. ad l. 35. n. 3. ff. h. t.*

19. Sufficit tamen & voluntas generalis, vel etiam præsumptiva. *C. I. A. th. 6. n. 2. h. t.*

20. Facultatem quod attinet, dici potest, omnes acquirere posse, qui non prohibentur. Sic enim ferè comparatum est, ut, quoties queritur, quid alicui in jure privato liceat; ita definiendum sit, omnia cuivis licere, si leges non prohibeant, *arg. l. 43. §. 1. ff. de procur. l. 28. §. 2. Ex quib. caus. maj. l. 1. §. 1. ff. de testib. l. 7. C. de relig. & sumpt. fun. i bid. Gothofr. V. G. Forster. d. tr. c. 6. n. 7.*

21. Prohibentur autem Manichæi, Donatistæ aliique hæretici; quippe quibus omne jus commerciorum & successionis ademptū est. *l. 4. §. 2. & seq. C. de hæret. & manich. omniumque bonorum publicatio indicta, d. l. 4. §. 1.*

Crimi-

22. Criminis perduellionis Rei : quoniam & hi dominiam rerum, quas antè habuerunt, amittunt, adeo ut nec alienare quid ex iis possint, nec iis rectè solvat debitor, l. 6. §. 1. l. 5. §. 4. C. ad L. lul. Majest.

23. An & deportati? Hos, cùm retineant ea, quæ sunt juris gentium, l. 15. ff. de Interd. & releg. per illius juris modos posse acquirere facilè largimur. Sed ab ea rerum acquisitione, quæ juris civilis est, eosdem removemus. V. G. Forst. d. tr. c. 6. n. 10.

24. Hic ἐν παρόδῳ quærere placet; An bona quæ post condemnationem adquisiverunt deportati, fisco cedant? Negare videtur, l. 22. §. 5. ff. mandat. Affirmat, l. 2. C. de bon. proscript. Dicemus d. l. 22. §. 5. accipiendam esse, non de deportato, sed alio, & relegato v. c. bonorum publicationem passo, l. 14. §. 1. ff. de interd. & releg.

25. Ob conditionem rei acquirendæ prohibentur Judæi & Pagani acquirere mancipium Christianum. l. un. C. Ne Christ. mancip. & c. Nefas enim religiosissima mancipia impiissimorum inquinati dominio. l. ult. C. Theol. eod. t. Cujac. in Parat. C. d. t.

26. Quidam ratione officii acquirere prohibentur: ut præfides prædia in ea provincia, quam administrant. l. 62. pr. ff. de contr. empt. Huc fac. l. un. C. de contr. jud. l. fin. C. de rescind. vendit. l. 46. §. 2. ff. de jur. fisc. l. 33. ff. de reb. cred.

27. Quidam ob potestatem, cui subjecti, S I B I aliquid acquirere nequeunt. Potestatem autem intelligimus vel patriam vel dominicam. Hæc reguntur servi qui nihil omninò suum habere possunt, §. 3. I. Per quas pers. cuique adq. cum nullum jus (maximè civile) habeant. l. 3. §. 1. ff. de cap. min. nec juris (etiam gentium) communionem, l. 20. §. 7. ff. Qui test. fac. Unde nec possidere possunt, l. 49. §. 1. ff. de Adq. poss. Abusivè tamen loquendo & conniventibus dominorum oculis qualitercunque S I B I quid habere dici possunt, ex l. 4. §. 1. ff. de manumiss. & §. 4. Inst. de jur. pers. ibid. Clariss. Dn. Præses.

28. Illà filii fam. : nec enim hi, quæ tales, suum quid habere possunt, arg. l. 10. §. 1. ff. de A. R. D. l. 1. pr. ff. si a par. quis manum. l. 2. C. de patr. potest. l. 79. ff. de Adq. hered. Sed ut aliquid acquirere S I B I possint, vice patrum funguntur, l. 2. ff. de SC. Maced. vel militi comparatur, l. 50. ff. ad SC. Trebell.

29. Utrisque accensendi monachi, qui quasi geminam faciem habent. Rittershus. ad Nov. part. 1. c. 6. n. 52. Nam interdum servo, interdum filiofam. æquiparantur, secundum quod utilius est monasterio, Schneidvv. §. possidere. l. de interdict. n. 141. Ideoque ut illi, quæ

quã tales, nihil S I B I adquirere possunt; sic nec monachi, *c. 6. de stat. monach.* Hæc de causa efficiente dixisse, sufficiat.

30. Verùm parum sit dixisse, Q U I, nisi simulac Q U I D, adquirere possint, dixerimus. Agè objectum sive materia, circa quam dominium versatur, in apicum prodeat.

31. In omni autem objecto duo sunt, res sc. considerata & modus considerandi: illud materiale, hoc formale appellari à Philosophis consuevit. Scheibl. *introd. Log. c. 1. n. 62.*

32. Utrumque verò conjungere oportet, si verum & integrum objectum exprimere velis: aliàs enim res considerata pluribus disciplinis communis erit, Hornej *in compend. Physic. disp. 1. th. 8.* Quæ, ut sit propria, restringenda est per modum considerandi, Bachov. *ad §. 1. n. 5. Inst. de l. & l.*

33. Quod si & hîc feceris, objectum DOMINI dices Res corporales, non quã per causas sunt cognoscendæ: (quod aliarum disciplinarum est, sed quatenus privati alicujus in patrimonio vel commercio esse possunt. Harprecht. *ad pr. n. 24. inst. de Rer. divis.*

34. Hinc excludimus res incorporales, *l. 1. ff. de usu & usufr. leg.* quarum per abusionem dominium dici cum Cujac. *Parat. in fin. ff. de A. R. D.* affirmamus. Quid enim attinet sine exemplo uti ejusmodi termino, qui tamen ne in errorem deducat, mox limitatione opus habet, ne propriè usurpatus appareat? Clariss. Dn. Præses, *Fasc. 14. q. 2.*

35. Relegamus quoque res sacras, religiosas, sanctas, publicas, quæ, quã tales, simpliciter extra commercium sunt, *l. 6. pr. ff. de contr. empt. l. 83. §. sacram. ff. de V. O.*

36. A sacris autem separamus res ecclesiasticas: hujusmodi enim res in commercio sunt, & sic adquiri possunt, cætera si sunt paria, *l. 17. §. 1. C. de SS. Eccles.* Hæc de materia.

37. Agendum de forma, quæ in modis acquirendi consistit. C. I. A. *th. 8. h. t.* Modi autem sunt vel juris gentium, vel juris civilis, §. 11. *l. de R. D. l. 1. ff. h. t.* de illis tantùm, ordinem ductumque Imperatoris sequentes, tractabimus.

38. De numero illorum, an quatuor, septem, an quatuordecim, vigintive sint, non erimus solliciti. Cui enim bono hæc delatoria curiositas & scrupulosa inquisitio?

39. Verùm cum commodius sit à vetustione jure incipere, §. 11. *l. de R. D.* Palam autem sit occupationem esse modum acquirendi primum & antiquissimum, Frantz. *Exer. 1. q. 6. n. 6.* rectè ab occupatione auspicabimur modos. Occur

40. Occupatio est apprehensio rei vacuæ animo domini facta
Obrecht. *disp. de dom. th. 5 4.* Bernh. Sutholt. *Dissert. 4. th. 21.*

41. Licet autem occupatio latissimè pateat, Bach. *ad §. 12. & 13. Inst. de R. D.* nos tamen vestigia Justiniani prementes, de occupatione ferarum loquimur; hæc vel est quadrupedum, quæ propriè venatio, vel avium, quæ aucupium, vel piscium & dicitur piscatio. Obrecht. *disp. de Venat th. 6. vid. & Bach. all. 1.*

42. Venatio verò (generaliter accepta) est occupatio sive captura ferarum bestiarum; sic *C. 1. A. th. 10. h. t.*

43. Occupare autem propriè est, possessionem alicujus rei primùm apprehendere, *l. 1. §. 1. ff. de Adq. poss.*

44. Unde fera bestia vulnerata non aliter tua est, quàm si eam ceperis, *l. 5. §. 1. ff. h. t. & §. 13. l. de R. D.*

45. Feras autem bestias intelligimus non tantùm eas, quæ naturâ feroces sunt, & à Cic. immanes appellantur *lib. 5. Tuscul.* ut leones, ursi, lupi, Pantheræ & s. quæ propriè bestia dicuntur, *l. 1. §. 6. vers. bestiis. ff. de postul. l. 2. §. 2. ff. ad L. Aquil.* sed omnes, quæ immensam liberè vagandi libertatem, *l. 5. pr. ff. h. t.* sive laxitatem, *l. 44. & 55. ff. eod.* amant, & feram non cicuratam naturam habent, *§. 14. & 15. l. de R. D.* & soli vagæ à Cic. dicuntur, ut sunt cervi, lepores, damæ, apes, columbæ, pavones, *l. 5. §. 2. & 5. ff. h. t.*

46. Illarum venatio tanquam publicè utilis peculiari lege omnibus permittitur, *l. unic. C. de venat. ferar.* Harum non æquè: sed recreationi voluptatique Principum reservata est. *Wesemb. in π. h. t. n. 7. vers. materia.* Quâ de re infra pluribus.

47. Quæ igitur animalia mansueta vel mansuefacta sunt, apprehensione non adquiruntur. Illa enim quolibet modo turbata si aberraverint, ut ignoremus ubi sint, tamen nihilominus in nostro dominio (licet non possessione, *l. 3. §. 13. ff. de Adq. poss.*) tenentur. Quâ de causa furti nobis tenebitur, qui quid eorum lucrandi animo apprehenderit, *l. 5. th. 6. ff. h. t.*

48. Quare etiam ob gallinam surreptam actionem furti famôsam nobis competere, bene defenditur, *§. 16. in fin. l. h. t. & d. l. §. 6. h. t.* Et licet sit quid exiguum *Nov. 69. c. 1. §. 1.* attamen justitiæ ratio non ex quantitate: sed ex suis regulis æstimaanda est, Gothofr. *ad d. N. lit. C.* ita Pescennius Niger decem com manipulones ad mortem destinârat, ob raptum unius galli, ut refert Arnisæ. *in doct. polit. cap. 17. p. m. 336.*

49. Quid juris de mansuefactis? In his, quâ talibus, quatenus sc. ex consuetudine abire & redire (ut cervus Virgilianus *lib. 7. Æn.*) solent:

solent: hæc regula comprobata est, ut eousque tua esse intelligantur, donec animum (sic abusivè loquimur cum Justiniano) habeant revertendi; eo verò deposito occupantium fiant, §. 15. *Inst. de R. D. l. 5. §. 5. ff. h. t.*

50. Adeò ut si priori casu intercepta ab aliquo fuerint, aut saltem à revertendi consuetudine, in escationibus averfa, in eum actio furti competat, *l. 37. ff. de furt. l. 8. §. 1. ff. Famil. ercis.*

51. Porrò quod ad locum attinet, nihil interest, utrum in suo fundo quis capiat, an in alieno, *l. 3. §. 1. ff. h. t. l. 55. ff. eod.* An etiam in loco publico venari liceat cuivis? Ita maximè putamus, *arg. §. 2. Inst. de R. D.*

52. Planè qui in alienum fundum ingreditur venandi, aucupandi aut piscandi (*l. 13. §. ult. ff. de injur.*) gratiâ: potest à domino, si is præviderit, prohiberi, ne ingrediatur, §. 12. *Inst. de R. D. l. 3. §. 1. ff. h. t.* Adeò ut si contra prohibitionem ingressus fuerit, à domino injuriarum conveniri possit, *l. 13. §. ult. ff. de injur.*

53. Quid autem, si contra prohibitionem in alieno ceperit feram, suamne facit? An domino prohibenti acquirit? Nō utiq; suam facit: *l. 55. ff. h. t. Cujac. 4. Obs. c. 2. in fin.* Sed magis ipsius domini prohibentis commodo, operam impendisse videbitur. *Clasß. Dn. Præses ad §. 12. Inst. de R. D. arg. l. 27. §. 25. ff. ad L. Aquil.*

54. Hæc Romani prudentes, qui jus gentium propius subsecuti sunt, ita censuerunt: mores tamen ubique passim jus gentium subegerunt; adeò ut ne in flumine publico cuivis piscari, *Schults in Synops. instit. de R. D. lit. b. neque in agris liberè venari aut aucupari liceat. Cujac. 4. obs. c. 2.*

55. Unde illud controverti solet, si jure gentium capientium fiant feræ, quo ergò jure Principes subditis adimere potuerint jus venandi? Optimo jure Imperii. Cum enim P. R. imperatori omne jus (non cumulativè, ut quidam sentiunt, quos oportet in crassa ignorantia Politices versari. *Bach. ad §. C. n. 2. Inst. de I. N. G. & C.* sed privativè) concesserit, utique & jus prohibendæ venationis concessisse videri debet, §. 6. *Inst. de I. N. G. & C.* Et hoc in locis publicis facilè obtinebit: in privatis verò singulorum fundis, Principes habent jus territoriale, quod facilè parere potuit prohibitionem venationum *Dn. Præses Fasc. 14. q. 7.*

56. Iniquitate tamen non carebit, si indistinctè ultimo supplicio afficiantur, qui feras contra mandata Principum ceperunt. Non enim debet introduci Stoica delictorum æqualitas. *Frantzck. Exer. 4. q. 3. n. 2. ne pœnæ modus excedatur contra, l. 31. ff. ad L. Cornel. de*

fals. Sicut Galeatius Sfortia coëgit colonum, ut leporem, quem ceperat, crudum cum pelle voraret, unde mortuus est. Arnisæ. *Doct. polit. c. 17. p. m. 335.*

57. Succedit secundus acquirendi modus, qui dicitur occupatio hostilis; ubi hæc regula tenenda est: quæ ex hostibus capiuntur, jure gentium statim capientium fiunt. *l. 5. §. fin. ff. h. t. §. 15. Inst. de R. D.*

58. Hoc tamen volumus, non quod ipso jure singulorum militum fiant; sed eorum ad quos summa rei bellicæ pertinet, si res sit mobilis, *arg. §. 3. inst. de jur. pers. l. pen. §. 1. C. de donat.* Tim. Faber. *disp. 12. th. 9.* si immobilis, *l. 20. §. 1. ff. de capt. & postl.* Nec aliunde melius, quam ab historiæ face his tenebris lumen quaeritur. vid. igitur, *Halicarn. l. 1. c. 8. & l. 4. c. 3.*

59. Hinc aspera & vehemens (ut appellatur à Quintil. *lib. 5. c. 10*) controvertitur quæstio: An quoque jura (quippe quæ ad numerum mobilium immobiliumvè rerum aggregari nequeunt, *Wesemb. in 7. ff. de R. D. n. 4.*) fiant victoris, quatenus velit? Id affirmare quid prohibet? In promptu ratio est; nam qui dominus est personarum, idem & rerum est, & juris omnis, quod personis competit, *arg. l. 118. ff. de R. I. l. 21. ff. ad L. lul. de adult.* Sic Albâ victâ, quæ Albanorum jura fuerant, sibi vindicârunt Romani, ut ex Dionys. refert *Hug. Grot. tr. de jur. bell. & pac. c. 8. n. 4. lib. 3.*

60. In tantum autem ex hostibus capta, fiunt capientium, ut liberi homines in servitutem eorum deducantur, *l. 7. pr. ff. h. t. l. 36. ff. de relig. & sumpt. fun. §. 17. I. de R. D.* Qui tamen, si eâ mente ad suos venerint, ut non illuc reverterentur, jure postliminii pristinam recipiunt libertatem; nec interest utrum dimissi, an vi vel fallacia potestatem hostium evaserint, *l. 26. ff. de capt. & postl. l. 5. §. 3. ff. eod.*

61. Quid hodiè inter Christianos juris sit, quaeritur? Et in univsum placuit, bello inter ipsos orto, captos servos non fieri, ita ut vendi vel ad operas urgeri possint vel alia pati cogantur, quæ servorum sunt. Meritò sanè. Quia inter Christianos non nisi bella civilia oriuntur, in quibus capti olim liberi manebant, *l. 19. de capt. & postl. C. I. A. lib. 28. tit. 1. th. 6.* Obrecht *Disput. de instit. hered. th. 32.* Quia Christianos magis fratres invicem, quam servos esse decet, *Harprecht. §. 17 n. 7. Inst. de R. D. Grafeck. disp. de domin. th. 132.*

62. Mansit tamen inter Christianos mos captos custodiendi, donec persolutum sit pretium (quod Græci *λύτρον*, Barbari rancionem siue finantiam vocant, *Harp. d. l. n. 7. in f.*) cujus aestimatio in arbitrio est victoris. *Hug. Grot. d. tr. c. 7. n. 9. lib. 3.* Sed

63.
proba
ampli
pers.
11. n. 6
& alii
tuunt
etiam
vol. 2. t
64.
ce bell
sunt T
ad d. §.
ter mo
65.
ab ho
vitate
causa
trufus
magi
fis plu
66.
lis & a
ult. ff. a
67.
præve
inven
lit. l.
68.
ralium
arg. l. 9
ad q. po
69.
quear
eorum
que u
statu,
modu

63. Sed quid est, quod Bodin. *l. 1. de Rep. c. 6.* plenius ex historiis probat, A. Christi M. CC. in universo fermè orbe terrarum servos amplius non fuisse, quod ex eo refert Vultejus, *ad §. 2. n. 5. 1. de jur. pers.* Unde dicendum videtur cum Covarruv. *in c. Peccatum. part. 2. §. n. n. 6. de R. l. in 6.* Christianos captos à Turcis, Sarracenis, Tartaris, & aliis prorsus infidelibus, non fieri eorum servos? Dd. comm. statuunt (Georg. Schult. *in Synops. instit. tit. 3. lib. 1. lit. A.*) ab illis captos etiam hodiè servos fieri: hostium enim loco sunt. Treutl. *disput. 10. vol. 2. th. 2. lit. E.*

64. Hostes autem hi sunt, qui nobis P. R. aut quibus nos publicè bellum decrevimus, *l. 24. ff. de capt. & postl. l. 118. ff. de V. S.* At tales sunt Turcæ & cæteri, qui perpetuum P. R. indixerunt bellū. Harp. *ad d. §. 17. n. 10.* Ergò ab his capti nostri cives eodem momento civiliter mori intelliguntur, *l. 10. pr ff de captiv. & postl. revers.*

65. Claudat hunc acquirendi modum quæstio; An redemptus ab hostibus, liber, an servus redemptoris fiat? Si quidem ante captivitatem liber fuit, quoad exolvatur pretium, redemptus magis in causam pignoris constitutus, quàm in servilem conditionem detrusus, Gordiano Imp. videtur. *l. 2. C. de postl. revers.* ubi particulam magis *in d. l. 2. θελικὸς non συγκαταλικὸς* accipiendam putamus. Vide sis plura exempla apud Just. Mejer. *Disp. de Culp. t. 127.*

66. III. Acquirendi modus est inventio: quæ fit non oculis & animo solo, sed manibus & apprehensione. *l. 1. §. 1. l. 3. §. 3. vers. ult. ff. de Adq. & am. poss.*

67. Adeò ut apprehendens, rem ab alio prævisam, videntem prævertendo, dominium sibi vindicare possit: non enim dicitur res inventa, nisi sit apprehensa. *l. 13. C. de fidejuss. Gothofr. ad l. 3. § ff. h. t. lit. I.*

68. Intelligimus autem hîc inventionem maximè rerum littoralium: puta lapillorum, gemmarum. Quæ, quatenus nullius sunt, *arg. l. 9. §. fin. ff. h. t.* jure naturali statim inventoris fiunt. *l. 1. §. 1. ff. de adq. poss. l. 3. ff. de Rer. div. § 18. I. h. t.*

69. Ast falluntur, qui hæc ita putant naturalia, ut mutari nequeant: non enim ita se habet jus naturale, sicut alia naturalia & eorum qualitates, veluti, quod, ut ait Arist. *lib. 5. Ethic. c. 10.* ignis ubique urit. Sed sunt naturalia nō simpliciter, verùm pro certo rerum statu, id est, si aliter cautum non sit. Unde hic modus hodiè non admodum est in usu, ut ex comm. Dd. opinione refert, V. G. Forster.

d. tr. de domin. c. 9. n. 69. cùm Domini terrarum littora & maria ipsa sibi quodammodo vindicent. Lindeman. *Exerc. disp. 2. th. 38.*

70. IV. Acquirendi modus, inter eos, qui juris gentium vocantur, est genitura animantium. Quicquid enim ex animalibus dominio nostro subjectis nascitur eodem jure (id est, naturali sive gentium, Harp. *Inst. h. t. ad §. 19.*) nobis acquiritur. *l. 6. ff. h. t. & d. §. 19. inst. de R. D.*

71. An & idem in partu ancillæ obtinet? Affirmat Venulejus. *l. ult. ff. h. t. l. 12. C. de Rei vind.* Et partum ancillæ, matris sequi conditionem, explorati juris est, *l. 7. C. de Rei vind.*

72. V. Modus est Alluvio: quæ est latens incrementum, §. 20. *instit. h. t.* per metonymiam scilicet causæ. Bach. *d. §. 20.* Germanis dicitur Ein Zufluß/oder Zuwachs. Schneidvv. *d. §. 20. n. 2.*

73. Quod autem alluvio ita paulatim aufert, ut alteri parti applicet, id alluvionis jure ei quæritur, cujus fundo accrescit, *l. 1. in fin. C. de alluv. l. 7. §. 1. ff. h. t.*

74. Hoc tamen jus nec in agris limitatis, *l. 16. ff. h. t.* nec in lacubus & stagnis, *l. 12. pr. ff. h. t.* agnoscimus.

75. Quod si non latenter & paulatim, sed palàm vi fluminis fundo meo fuerit adjectum, meum non fit, sed manet prioris domini, §. 21. *inst. de R. D. l. 7. §. 2. ff. h. t.*

76. Nisi longiore tempore meo fundo hæserit & coaluerit: eo enim ipso, negligentia domini arguitur. Clariss. Dn. Præf. *ad d. §. 21.* Jam autem liquet, ignavos audiri non oportere, *l. 78. §. 2. ff. de legat. 2. sed sibi imputare debere, arg. l. 203. ff. de R. I.*

77. Quid ergò, si culpa domino imputari nequeat? Magis erit, ut utilis in rem actio eo nomine ipsi competat, per *l. 5. §. 3. ff. de R. V.* ne industria desidixæ pœnas solvat, *l. 12. C. de depos. & doleat diligens. l. 3. C. de Alluvion.*

78. VI. Est insulæ in flumine vel mari productio sive natiuitas. Insula, quæ in mari nata est, fit occupantis. Nullius enim esse creditur, §. 22. *inst. de R. D.*

79. Sed gravior controversia est de Insula in flumine publico nata, cui adquiratur? Perplexam quæstionem reddit ἐναυλιογενής illud inter §. 22. *inst. de R. D. & l. pen. §. ult. ff. h. t.* Cum Hottom. emendat *d. §. ult. l. pen.* Ant. Matthæi. *Colleg. inst. jur. disp. 5. th. 16.* Quod jam olim displicuit Cujac. *lib. 14. obs. cap. 11.* Et meritò. Debere enim nos ab emendationibus textûs abesse quàm longissimè, aliquoties monuit

nuit

luit JC. Vultej. *Discept. scholast. cap. 20. p. m. 186.* Quid ergò? Eorum esse insulam respondemus, qui propè ripam prædia (non tamen limitata; hoc enim casu occupantis fiet, *l. 1. §. 6. ff. de flum.*) possident occupatoria seu arcifinia. Dn. Præf. *ad §. d. 22. Hunn. ad Tr. disp. 18. th. 5. q. 27.* Text. dd. conciliationem ipse conflictus subministrabit.

80. Insulam autem intelligimus eam, quæ ipsi alveo fluminis cohæret: quæ enim virgultis aut aliâ quâlibet levi materiâ (cujusmodi insulæ meminit Livius *lib. 2. pr. ex quo refert. Bach. ad d. §. 22.*) ita sustinetur in flumine, ut solum ejus non tangat, ea non fit vicinorum, sed publica est, ut scribit Paulus *in l. pen. §. 2. ff. h. t.*

81. VII. Est Alvei mutatio. Hic à flumine relictus eorum fit, qui propè ripam prædia possident, *§. 23. I. de R. D.* Novus autem alveus ejus juris esse incipit, cujus & ipsum flumen est, id est, publicus juris gentium, *l. 7. §. 5. ff. h. t.*

82. Quid verò si flumen (cùm nihil perpetuò stare possit, *§. 18. de confect. Digest.*) ad veterem priorem alveum revertatur; cujus fiet relictus? Eum ad pristinos redire dominos, stricta juris ratio negat, *l. 38. ff. h. t.* At vix est, ut id obtineat, ait Regina juris, *Æquitas*, (sic loquitur ex Zaf. Matth. Coler. *de process. execut. c. 9. part. 1. n. 36. p. 198.*) *in l. 7. §. 5. in fine. ff. h. t.* Quam rationem *Æquitatis* præcipuam, quam juris stricti esse placuit, *l. 8. C. de judic.*

83. Alia sanè causa est, si cujus totus ager inundatus fuerit. Pålam enim est, illum ejus manere, cujus & fuit: inundatio quippe regulariter fundi speciem non commutat, *§. 24. inst. de R. D. l. 7. §. 6. ff. h. t.*

84. Hoc tamen casu possidere definimus. *l. 3. §. 17. & l. 30. §. 3.* (ubi mendosè pro *NO S*, exemplaria quædam habent *NON, C. I. A.* *lib. 41. tit. 2. th. 25.*) *ff. de adq. poss. add. l. 3. §. 13. d. t.*

85. Imò & dominium *INTERIM* amitti non malè dicetur, *l. 23. ff. Quib. mod. usufr. am.* Quod tamen, si aqua recesserit & fundus restitutus fuerit, semper mansisse videtur, *d. §. 24. inst. h. t.* Quomodo etiam hæc phrasis accipitur *in l. 30. C. de jur. dot. & alibi. Sic Ampl. & Consult. Dn. D. Bitsch. d. Disp. de Domin. th. 23.*

86. VIII. Modus est Specificatio. Quæ est in alienam rem novæ speciei introductio. Sutholt. *Dissert. 4. th. 51.* Vel (ut Frantzk. definit *Exerc. 4. q. 4.*) novæ speciei ex aliena materia formatio seu confectio.

87. Unde quæri solet, quis eorum naturali ratione dominus

lit; utrum specificans? An materia dominus? Circa hanc quaestio-
nem magna olim Sabinianorum & Proculianorum erat, utrinque
rationibus (quas vide sis apud Frantzk. *d. l. & Harprecht ad §. 25 in-
stit. h. t.*) vallata disputatio. Illi pro materia, hi pro forma pugna-
bant. Arrepta tandem est media sententia, ut si reverti ad priorem
speciem materia posset, materia dominus rem haberet: *l. 7. §. 7. ff. h.
t. & §. 25. inst. de R. D.* Si non posset, tum is haberet, qui speciei esset
author, *dd. ll.* Modò hic bonà fide, *arg. l. 12. §. 3. ff. ad Exhib.* suoq; no-
mine fecerit, *l. 7. §. 7. ff. h. t. & l. 27. §. 1. ff. eod.*

88. At datam distinctionem, an Justin. exemplis in *d. §. 25.* pro-
positis reddiderit manifestiorem? (Quod aliàs exemplis fit, *l. 3. §. 2.
ff. de collat. l. 51. sub fin. ff. ad L. Aquil. ibi. Gothofr.*) An obscuriorem?
Ob diversam illorum conditionem dubitari potest. Et plerique in-
dignissimè factum clamant, quod Imperator in *d. §. 25.* exemplum
frumenti referat, cui è diametro repugnet (verba sunt Ant. Matth.
disp. 5. th. 23.) Gajus in *l. 7. §. 7. ff. h. t.* Et hæc adeò pugnare credide-
runt nostri, ut vel manus textui in *d. §. 25.* admovent, vel tanquam
inane exemplū inter alia positum asseveraverint, Marc. Lycklam.
l. 3. membr. Ecl. 4. Verùm melior conciliandi *dd. ll.* suppetit ratio. Di-
cimus enim Imperat. in *d. §. 25.* non tam, quid de frumenti acqui-
sitione servandum sit, decidere, quàm exemplum illud referre, quo
ostendat, quæ res ad priorem speciem reverti, vel, ut loquitur Pau-
lus in *l. 78. §. 4. de legat. 3.* sæpius in sua redigi non possit initia. Quare
indignissimè, aptum hoc esse exemplum, negatur. Simile quoddam
exemplum est in *l. 55. ff. de A. & O.* Conciliationem Marc. Lycklam.
all. l. refutatione indignam censet, Bachov. *ad Tr. Disp. 20 th. 7. lit. A.
& B. vol. 2.*

89. Dicta hæc de frumento spicis excusso accipe. Secus enim
erit in commolito, quod absque dubio molentis erit. C. I. A. *b. t. th.
30. n. 6. in fin.*

90. Verùm gravior nos excipit controversia: An, si meis tabu-
lis navem fecisses, tua sit navis? Affermat Paulus, *l. 26. pr. ff. h. t.* Quia
cupressus non maneret. At turbas movent Minicius & Julianus in
l. 61. ff. de R. V. Antinomiam statuit cum Hottom. & Ant. Fabr. Ant.
Matthæus *d. disp. 5. th. 22.* Distinguunt alii: ut Bachov. *ad §. 25. inst. h. t.*
Harprecht. *eod. §. n. 10.* Marc. Lycklam. *l. 7. membr. ecl. 3.* Tim. Faber
(*disp. 13. th. 1. lit. B.*) *d. leg. 61.* ad modum accessionis; *d. l. 26.* ad modum
specificationis refert. Et hoc non ineptè.

91. Hæc de casu, quo quid totum ex aliena materia factum est.
Quod

Quod si partim ex sua materia, partim ex aliena speciem aliquam fecerit quis; dubitandum non est, ait Imp. in §. 26. inst. h. r. eum esse dominum, qui fecerit.

92. At dubitant Dd. num eadem distinctio adhibenda, quæ in §. 25. inst. h. t. à nobis sup. th. 87. proposita? Negat Bachov. ad §. 25. & 26. in fin. Nos affirmare cum legibus haut erubescimus l. 12. §. 1. ff. h. 1. & l. 5. §. 1. ff. de R. V. ibi: *Quoniam speciem suam pristinam non continet.* Pacius in *Analys. Inst. d. §. 26. & Alii.*

93. Hæc omnia ita disputantur, ut intelligamus quis dominus sit, & rem vindicare possit, non autem propterea, ut is, cujus materia fuit, ejus damnum sentiat, quod esset contra. l. 14. ff. de cond. indeb. Competit igitur domino materiæ in factum actio contra specificantem ad consequendam materiæ æstimationem, l. 23. §. 5. vers. *Idemque in omnibus.* ff. de R. V.

94. IX. modus est intextura: quæ accessionis vice purpura, licet preciosior, cedit vestimento, §. 27. Inst. h. t. Quod enim alicui rei adiicitur, cedit toti, l. 26. §. 1. ff. h. t. ut principali, l. 19. §. 13. ff. de aur. & arg. leg.

95. Et hoc obtinet sive bonâ sive malâ fide quis intexuerit: utroque quippe casu prior dominus amittit dominium purpuræ, d. §. 27. ibi. *Dominus fuit.* inst. h. t.

96. Annon autem sic etiam cum alterius jactura & injuria quisquam locupletior fiet, contr. l. 206. ff. de R. 1? Rectissimè Bacho. inst. ad §. 20. h. t. non, si dominium rei alteri ex jure gentium sine facto domini quæsitum est, protinus omnis actio domino pristino negatur. Habet enim actiones, qui purpuræ fuit dominus, quibus indemnitati suæ consulat.

97. At quas? Adversus b. f. intextorem habet conditionem simplicem arg. l. 11. §. ult. sub fin. ff. de R. C. & exempl. l. 32. eod. Habet & actionem ad exhibendum, l. 7. §. 2. ff. ad Exhib.

98. Adversus m. f. verò intextentem furti habet actionem & conditionem furtivam. §. 26. Inst. h. t.

99. X. est confusio. Ad quæstionem An sit, quod attinet, (hæc enim omninò præmittenda quæstioni Quid sit, Scheibl. tr. Syllog. cap. 18. n. 74.) dubitandi ratio est, quod magis hoc modo retineri, quàm acquiri dominium videatur, eò quod corpus ex confusione conflatum commune tantùm fiat, §. 28. inst. h. t. Ast quàm optimè respondet Tim. Faber. disp. 13. t. 5. quò brevitas studio remittimus.

Quidi

100. Quid sit confusio, terminorum (cōfusionis sc. & commixtionis) confusiones dubium reddunt, ut l. 3. §. 2. l. 5. in pr. ff. de R. V. l. 7. §. 8. ff. h. t. Non ineptè tamen sic forsan describemus: Esse illam materiarum liquidarum vel liquefactarum in unam massam, sive corpus (quod potest dici unitum, l. 30. pr. ff. de usurp. & usuc.) cōjunctionem. Et ita ferè Bach. ad §. 28. inst. h. t.

101. Hæc si utriusque domini voluntate facta sit; (etsi fortuito contigerit, l. 7. §. 9. ff. h. t. Conjungit enim dominos in societatem non consensus, sed res, ut loquitur Paulus in l. 25. §. 16. ff. Fam. ercisc.) vel communitio in toto inducitur, d. l. 7. §. 8. ff. h. t. vel si separari materiæ possunt partibus partium vindicatio competit, l. 5. §. 1. vers. Sed si plumbum. ff. de R. V.

102. Leve putamus, quod Theophilus in d. §. 28. in fin. verba; idem juris esse placuit, negativè legat. Utilitate enim censeatur, non autoritate, si quibus allubescit ejus lectio. Tim. Faber. in repet. proæm. inst. th. 10. Add. Harp. inst. Tom. 2. p. m. 1041. n. 25. & Bachov. inst. pag. 95. n. 1.

103. Absolvemus hunc modum, si prius dixerimus, quam materiarum separationem intelligimus. Non utique rusticanam per medium divisionem (ut Baldus quandam Bartoli decisionem vocat, quod plenius refert, Reverend. & Ampliss. Dn. D. Bitsch. Tract. de Thesauris th. 246.) hoc enim modo argentum duorum confusum optimè separari posset, quod tamen negat, l. 3. §. 2. ff. de R. V. Sed eam, quæ singulis dominis ipsum corpus individuum & materia numero eadem restituitur, quæ fuit ante confusionem. Bachov. ad §. 28. l. h. t. An nec eam, quæ artificio accuratiore opus habet, & cum deterioratione & imminutione corporum contingit, l. 5. §. 1. ff. eod? Bach. d. l.

104. XI. est commixtio. Hæc uti differat à confusione, videre est apud Ant. Matth. ad §. si duorum. inst. h. t. Descriptio ejus talis foret: Est materiarum solidarum (Pac. in Analys. inst. §. Quod si frumentum l. h. t.) vel aridarum in unum acervum vel corpus (quod ex distantibus constat, ut ait l. 30. ff. de usurp. & usuc. Hoc Metaphysici vocant Ens per aggregationem; veluti est acervus granorum: quo exempl. Scheibl. utitur, in Introd. Log. c. 1. n. 78. Idem & in Metaph. l. 1. c. 4. n. 14.) conjunctio.

105. Hæc facta est vel utriusque domini voluntate; & commixta communicata (pro indiviso sc. & proportione geometricâ, Clariss.

Clariss. D. Bitsch. *disp. de dom. th. 27. lit. C.*) videbuntur, *l. 5. pr. ff. de R. V.* vel casu & facto alterutrius; & nulla inducitur communio, *d. l. 5.* quia singula corpora in sua substantia durant, §. 29. *inst. h. t. l. 23. §. 5.* *vers. At in his corporib. ff. de R. V.*

106. Priori casu erit communi dividundo actio: posteriori competit singulis in rem actio in id, quantum patet in illo acervo (e.g. frumenti,) suum cujusque esse, *d. l. 5. pr. ff. de R. V.* ita tamen ut iudicis officio qualitatis habeatur ratio, *d. §. 29. l. h. t.*

107. Nec silentio hoc prætereundum censemus, dictam (*th. 105.*) rationem fallere in nummis, *l. 78. ff. de solut.* In qua singulare quid (cum Accurs. *in d. l. 78.*) agnoscimus. Quamvis enim in nummis corpora spectari non negemus. (Id enim esset sensum tactus negare, vid. Clariss. D. Præsid. §. 1. *lit. D. Inst. de Reb. corp. & incorp. & contra stimulos LL. calcitrare, l. 24. ff. de pos. l. 13. §. fin. ff. de R. C. l. 94. §. 1. ff. de solut.*) Potissimum tamen ex quantitate substantiam eorum metimur, *l. 1. ff. de contrah. empt.* ita quidem ut κατ' ἐξοχήν quasi quantitatum quantitas dici possint, cum eâ cætera æstimentur, *l. 42. ff. de fidejuss.* Eleganter Tim. Faber. *disp. 13. th. 7.* Quid? Quod difficilius quoque futura sit eorum discretio, quàm granorum, *arg. l. 62. §. 1. ff. de usufr.*

108. XII. modus est inædificatio. De qua est notanda regula generalis ista: omne, quod solo inædificatur, solo cedit, vel (ut loquitur *l. 2. C. de R. V.*) dominio accedit, ejus sc. cujus & solam est, §. 0. *l. h. t. l. 7. §. 10. & l. 28. ff. h. t. l. 5. C. de edific. privat.* Et hoc juris naturalis est, *l. 50. ff. ad L. Aquil.* Adde & civilis, *l. ult. ff. de superfic.*

109. Verùm ne hæc per Satyram à nobis inducta (ut ait Imp. *in l. 1. pr. C. de lat. lib. toll.*) videantur: agè distinctius (ita veritati erimus proximiores, ut refert Schneidvv. *ex Salicet in pr. proæm. l. n. 1.*) proponemus hunc modum, sic distinguendo: Aut aliquis ædificat ex aliena materia in suo solo: Aut ex sua materia in alieno. Priori casu ædificans intelligitur (non πλασικῶς, sed reverà: quomodo & passim verbum Videri, evidentiam significat, ut §. 13. & 17. *l. de Act. l. 12.* (ubi Gædd. *n. 8.* eleganter dicit, esse modestiæ verbum) *ff. de V. S. add. & C. I. A. lib. 10. tit. 1. th. 3.*) ædificii dominus, *per dd. th. præced.*

110. Nec tamen hoc casu materiæ dominus qui fuerat, desinet dominus ejus esse, §. 30. *l. h. t. & l. 7. th. 10. ff. h. t.*

111. Atqui hic eam nec vindicare nec ad exhibendum de ea agere potest. Meritò; publica enim privati utilitati præferenda, *l. unie. §. 14. C. de Cad. toll. arg. l. 14. pr. ff. ad SC. Trebell. & l. 1. §. 15. ff. de*

ventr. in poss mitt. vid. Arnif. in Doctr. pol. c. 13. p. m. 268. Atqui pertinet ad decus urbium, ædificia non dirui, l. 20. §. 10 ff. de Nov. oper. nunt. ne illæ ruinis deformatur, l. 1. §. 17. & l. ult. ff. Ne quid in loc. publ. Quapropter & Lex XII. Tabb. Tignum (quo quid contineatur, vid. l. 7. §. 10. ff. h. t.) solvi vetat, l. 6. in fin. ff. ad Exhib. prohibet, l. 98. §. 8. in fin. ff. de solut. non permittit, l. 1. pr. ff. de tign. junct.

112. Ast facilè largimur domino materiæ actionem in duplum de tigno juncto, tam contra bonâ, quàm malâ fide ædificantem. De hoc res plana est, propter l. 1. pr. & l. 2. ff. de tign. junct. l. 6. ff. ad Exhib. l. 7. §. 10. ff. h. t. De illo disputatio paululum intricatior: sed stat sententia propter l. 23. §. pen. ff. de R. V. ubi J. C. non de furtivo, sed indistinctè de tigno alieno loquitur. Quidni & nos, arg. l. 8. de Publ. in rem act? Nec obscurè suffragatur nobis §. 30. in fin. Inst. h. t. junct. l. ult. ff. de tign. junct.

113. Tantùm autem absit, ut nos eandem utriusque ædificatoris inducamus conditionem, quin potius illos longè differre dicamus. Nam si agatur contra m. f. ædificatorem, duplum meram pœnam continet, extra rem, l. ult. ff. de tign. junct. Qui & insuper stante adhuc ædificio ad exhibendum tenetur, l. 1. §. ult. d. t. quâ sc. pretii habebitur ratio, arg. l. 4. ff. de R. V. Si verò contra b. f. ædificatorem agatur, duplo simplum inest, vel, quod idem, eo pœna & res continebitur. Vid. C. I. A. ff. de tign. junct. §. 3. & 7. Et ab hoc si duplum consecutus fuerit dominus, materiam diruto ædificio vindicanti & ad exhibendum agenti; obstabit regula, l. 54. ff. de R. I. Quâ tamen non gaudebit m. f. ædificator. d. l. 2. ff. de tign. junct. ubi pro Extrinsecus Wesemb. vult legi Extincta, quod rectè agrè fert Bach. ad §. 30. n. 7. l. h. t.

114. Sed (ut alia ex alia neçtitur quæstio) porrò quæritur; An b. f. ædificator ad evitandam condemnationem in duplum, possit tignum restituendi causa solvere? Possè, plurimi humanius esse putant. Nobis secus videtur, non quia id natura non ferat, sed quia Lex XII. Tabb. nominatim vetat, Cujac. lib. 23. Obs. c. 19. in pr. & per dd. sup. th. 111. in fin.

115. Restat extricandum alterum distinctionis membrum sup. th. 109. propositum: cùm sc. quis ex sua materia in alieno solo ædificavit. Et hoc quoque casu ædificium (immobile, l. 18. ff. pr. de Act. Empt. aliàs secus, l. 60 ff. h. t.) fit eius, cujus & solum est, per dd. th. 109. Attamen materiæ dominus, qui scivit alienum solum esse, proprie-

tatem

zatem ejus, voluntate suâ amifisse, l. 7. §. 12. ff. h. t. vel alienasse intelli-
gitur, §. 31. l. h. t. vel etiam donasse, in odium ipsius, à lege præsumi-
tur, et si vel maximè sibi habere destinaverit. *Clariss. D. Præf. ad d. §.*
31. lit. B. Et idèd nec diruto ædificio materiæ vindicationem habet.
d. l. 7. §. 12. ff. h. t. & d. §. 31. Quanquam si possideat, dissoluto ædificio,
materiam recipiat: nisi donandi animo ædificasse à domino soli
probetur, l. 2. C. de R. V.

116. At quid juris in b. f. ædificante? Distinctio est; An possi-
deat ædes, nec ne? Priori casu, domum petens, non soluto priùs pre-
tio materiæ, exceptione doli repelli potest, §. 31. vers. *Certè illud. l. h. t.*
Posteriori; maximè dubitatur, An, si possidere desierit, impensas
per modum actionis repetere possit? *Negant. l. 48. ff. de R. V. l. 33. in*
fin. ff. de cond. indeb. l. 14. ff. de Except. dol. mal. Sed videndum, nunquid
non habeat conditionem, quâ non directò impensas (quas nequit
d. l. 33.) sed possessionem (quàm indebitè alterius fecit, l. 15. §. 1. ff. de
cond. indeb.) repetat: & post hanc recuperatam, retentione utatur; per
ea quæ tradit *Consult. D. Præf. Fasc. 14. q. 4.*

117. XIII. modus est Plantatio. Plantas enim alieno solo im-
positas, solo cedere rationis est, §. 32. *Inst. h. t. l. 7. §. ult. ff. h. t. l. 11. C. de*
R. V. modo radices egerint: tum namque credibile est, alio terræ ali-
mento eas alias esse factas, l. 26. §. 2. ff. h. t.

118. Unde Titii effici arborem dicimus, si vicini arbor ita ter-
ram Titii presserit, ut in ejus fundum & radices egerit, (hoc quo-
modo cognoscatur & probetur, vid. *Schneidvv. ad §. 20. l. h. t. n. 3.*)
& in fundo Titii simul arboris fuerit origo, d. §. 32. l. h. t. & d. l. 7. §.
ult. ff. eod. Secus enim erit, si vicini arbor radices tantùm porrexerit
ad terram Titii, tum enim manet ejus, in cujus fundo origo arboris
fuerit, l. 6. §. ult. ff. *Arb. furt. cas.* Quia magis radices juxta arboris
truncum, quàm in summitate spectamus, *Pacius in Analys. Inst. ad d.*
§. si Titius. 32. in fin. Inst. h. Giph. eod. §.

119. XIV. modus est satio. Hâc frumenta fata eâdem ratione
solo cedere intelliguntur, quâ plantæ, quæ terræ coaluerunt, §. 33. l.
h. l. 9. pr. ff. de A. R. D. Unde à *Giph. §. Adèd autem. l. h.* quasi pars
prioris exempli, de planta, esse dicitur. Et de hoc modo eleganter *Ju-*
lianus in l. 25. §. 1. ff. de usur. & fr. ait: in percipiendis fructibus magis cor-
porus, ex quo percipiuntur, quàm seminis, ex quo oriuntur, aspicitur:
quod & exemplo illustrat.

120. XV. modus est scriptura. Literæ enim licet sint aureæ,
perinde

perinde chartis membranisque cedunt, ac solo cedere solent ea, quae inaedificantur aut inseruntur, §. 24. l. h. l. 9. §. 1. ff. h. t. Congruit enim accessorium sequi naturam principalis, Reg. 42. de R. l. in 6. vel ut loquitur Ulpianus, l. 19. §. 13. ff. de aur. & arg. leg. Accessionem cedere principali. Utcunque principale sit minoris pretii, §. 27. l. h. Non enim tam pretium, quam major species, cui cedit, attendenda, d. l. 19. §. 13. Sine qua esse non potest. l. 23. §. 3. ff. de R. V.

121. Sanè si vir doctus meditationes suas in charta aliena scripserit, æquitatem iudex ante oculos habebit (exempl. l. 4. §. 1. ff. de eo quod cert. loc.) & aliquando scriptorem, possessorem chartæ, absolvet, si pretium chartæ, vel aliam æquè bonam præstiterit. Bacho. ad d. §. 34. l. h.

122. XVI. modus est Pictura. De qua Cajus in l. 9. §. 2. ff. h. t. sic sed ex diverso placuit tabulas picturæ cedere: quod & Justiniano melius esse visum fuit. §. 35. l. h. Sumptâ ratione diversitatis à pretio & dignitate artis pictoriæ in se considerata. De cujus præstantia Plin. l. 35. Nat. hist. c. 1. Quæ sanè ratio Turcis sorderet, cum ars pictoria ibi nullum habeat usum, ut refert, Arnif. in Doctr. polit. c. 12. p. m. 248. An & Paulo improbatur in l. 23. §. 3. ff. de R. V. ? Hactenus enim hunc dissensisse à Cajo, & hujus opinionem, antiquatâ Pauli, approbasse Justinianum, crediderunt omnes, ut tradit Gædd. ad l. 14. n. 12. ff. de V. S. Imò adhuc non posse responderi credit, Ant. Matth. disp. 5. §. 34. At nos, fallaciam ἐτεροζηλισίας sive ignorationem elenchi illos committere, opinamur. Oppositio namque non fit ὡς αὐτῶς. Paulum n. ibidem non de quæstione simplici An sit, sed de conjunctâ, Cur sit, loqui, hæc verba conjecturam præbent: cum necesse sit, ei rei cedi, quod sine illa esse non potest. Respiciendo, nimirum ad naturalem rationem & regulam, quâ semper superficies cedit solo, l. 50. ff. ad L. Aquil. l. 3. §. 7. ff. uti possid. Sic Rever. & Ampl. Dn. D. Bitsch. d. disp. rh. 32.

123. XVII. modus acquirendi, est fructuum ex re aliena Perceptio. §. 36. ibi, percepit. l. h. (id est, ut explicat, l. 78. ff. de R. V. si cœpit percipere, ut terra continere se fructus desierint) l. 13. in fin. ff. Quib. mod. usufr. am l. 25. §. 1. ff. de Vsur.

124. At consumptionem requirunt alii, l. 4. §. 19. ibi, consumti. ff. de Vsurp & usucap. & l. 40. ff. h. t. Utrumque verò concurrere nequit §. 10. l. de Legat. l. 159. ff. de R. l. Dicimus igitur fructuū Perceptione domi-

dominium inchoari: (vel ut loquitur Iustus Paulus in l. 48. pr. ff. h. fructus fieri possessoris interim) consumptione verò consummari, vel ut est in l. 4 §. 2 ff. Fin. regund. Lucrari eum oportet, qui eos consumpsit. Sic Dd. in contractibus consensualibus quoque distinguunt inter perfectionem & implementum. Vid. Bachov. ad princ. l. de Empt. & vend. Hæc de quæstione *εἰ ἐστὶ* ?

125. Diximus ulterius *th. præc. 123. Ex re aliena. Rectè, bonâ tamen fide possessâ, §. 36. l. h. Unde & titulum requiri consequitur. Nec enim potest vera esse bona fides sine titulo. Bachov. ad d. §. & Clariss. D. Præses Fusc. 22. q. 6. Et expressè conjunguntur in d. §. 36. ibi: aliâve quâlibet justâ causâ bonâ fide acceperit. Ideoque malè adducitur, l. 78. ff. de R. V. in qua sanè præsupponendus est titulus. Bachov d l.*

126. An autem distinguendum inter verum & titulum præsumptum? Non putamus: nam præsumptus quoque, cum bonâ fide conjunctus, justa causa est, l. 11. ff. pro Empt. C. I. A. lib. 22. t. 1. thes. 33. pr.

127. Nec refert, an quis rem alienam ex causa onerosa, an lucrativâ possideat, §. 36. ibi: bonâ fide emerit, vel ex donatione &c. acceperit. l. h. t.

128. Fructus porrò hîc intelligimus tam naturales, quàm qui factò b. f. possessoris provenerunt: (quos Accursiani industriales vocant.) Nam suos facit, non tantùm eos, qui diligentiam & operam ejus provenerunt, sed omnes, l. 48. pr. & §. 2. ff. h. t. & l. 28. pr. ff. de usur. Quid? Quod nec ullâ lege distinctio isthæc satis tradita, quod ad propositam quæstionem hujus loci attinet? Tim. Faber. Diss. 14. th. 4. Utcunque differentia in rebus ipsis insit. C. I. A. d. l. th. 30. n. 1. Nec de jicimur sententiâ, per l. 45. ff. de usur. Quæ ferè sola lites has inter Dd. concivit.

129. Ne te autem ἀμφισβολία in reprobum abripiat sensum; observa, quoad perceptionem fructuum & acquisitionem eorum in b. f. possessore, non tantùm initium justæ possessionis, sed & singula momenta esse spectanda, l. 23. §. 1. ff. h. t. Quod secus est in usucapione, in qua de Jure Civili bonam fidem ab initio intervenisse sufficit, l. 2. §. 13. ff. pro Empt.

130. Hæc de perceptis. Consumptos b. f. possessor lucratur, nec de iis tenetur, et si locupletior sit factus, l. 4. §. 2. ff. Fin. reg. & §. 2. vers. si verò bona, inst. de offic. jud. Nisi quæstio sit de possessore hereditatis.

Hic enim quatenus factus est locupletior, tenetur etiam de consumptis, *l. 25. §. 11. l. 40. §. 1. ff. de pet. hered.*

131. Hoc tamen non de qualicunque quocunque tempore factâ consumptione intelligimus. Post litem enim contestatam (imò & ante, si scientiam rei alienæ habere cœperit, per ea, *quæ th. 129. dicta sunt*) non lucratur consumptos, sed universos restituere tenetur, *l. 22. C. de R. V.* Incipit enim esse in f. possessor, *l. 25. §. 7. ff. de heredi. petit.*

132. Unde & hoc certum esse debet, quosvis malæ fidei possessores, quâ tales, (*Riemer. Exerc. 4. q. 4. in pr.*) omnes fructus solere cum re ipsa præstare, *d. l. 22. C. de R. V.* Etiam percipiendos, *§. 2. in fin. I. de offic. jud.* vel ut ait lex *33. pr.* qui percipi honestè potuerunt. *ff. de R. V. l. 62. §. 1. ff. d. t. l. 1. in fin. C. de pet. hered.* vid. *Vultej. in Discept. schol. 6. 20. per. tt.*

133. XVIII. modus est Thesauri inventio. Thesaurus aliàs largiùs sumitur ac designat pecuniam quamvis vel defossam, vel aliter repositam, *l. 22. pr. ff. Fam. hercisc. l. 15. ff. ad Exhib. l. 44. pr. ff. de Adq. & am. poss.* Ast impropriè sic dicitur, *Gothofr. ad d. l. 15. ff. ad Exhib.* Unde nec objectum est occupationis & inventionis, *Bachov. ad §. 40. n. 1. Inst. h.* Nobis hoc loco strictè dicitur vetus quædam depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, ut jam dominum non habeat. Sic enim fit ejus, qui invenerit, quod non alterius sit, *l. 31. §. 1. ff. h. t. l. un. C. de thesaur. 10.*

134. Ne autem hunc modum confusè & inordinatè tractasse videamur, ordine procedemus. Et igitur, I. Thesaurus, quem quis in loco sive fundo suo, sive datâ operâ sive fortuitò invenerit, ob naturalem æquitatem Totus inventori acquiritur, *§. 40. pr. l. h. t.*

135. Licet ille suus fundus alteri sit oppigneratus, *arg. l. 63. §. ult. pr. ff. h. t.*

136. Licet in eo suo fundo ususfructus alienus sit, vel etiam si alius ejus fundi usufructuarius sit, *d. l. 63. §. 3. vers. itaq. ff. h. t.*

137. Sed est quæstionis, An, si alius fuerit ejus loci superficiarius, nihilominus inventori thesaurus cedat totus? Quanquam ratione acquisitionis thesauri, nihil in libris juris nostri de superficiario in specie traditum reperiamus: id tamen affirmare cum *Rever. & Consultiss. Dn. D. Bitsch. Tract. de Thesaur. tb. 143.* quid prohibet? Non enim soli dominus est superficiarius: sed huic passim opponitur. *l. 9. §. 4. l. 18. §. 4. ff. de damn. infect. & passim.*

Porro

138. Porro cum oporteat ea, quæ de eodem penè loquuntur, in confinio ponere, ut ait Imperator in l. 2. §. 5. C. de Vet. jur. Enucl. non incongruum fortean erit, si autoritate Nobilissimi (l. 4. §. 1. ff. de Excus. tut.) & summi ingenii viri (l. un. §. 9. pr. C. de Caduc. toll) Ulpiani, in l. 3. §. 4. ff. de Reb. cor. qui sub tut. juri ἐμβαλεῖν κῶ jus ἐμπεδῶν κῶν combinemus, & quæramus, An & domino proprietatis thesaurus in fundo emphyteutico ab ipso inventus Totus acquiratur? Nulli dubitamus, per ea quæ latè & nervosè tradit Dn. D. Bitsch. all. Tract. th. 184. & seqq.

139. Quod & ipsum in thesauro in fundo feudali à Domino Feudi invento obtinere, non diffitemur. Nam rei immobilis beneficiatæ proprietates ad Vasallum non transit, sed penes dantem remanet, 2. F. 8. §. ult. & 2. F. 22. vers. Hujus autem. Vid. Bocer. Claß. 5. disp. 3. th. 48. Harprecht. I. ad §. Thesauros. n. 17.

140. II. Quid autem, si in loco sacro aut religioso? Si in his locis fortuito casu inventus sit thesaurus, idem jus D. Hadrianus statuit, in §. 40. l. h. r. Non si datâ operâ; quod licet Imperator Hadrianus nō adjecerit tamen sic intelligi consequens est, ut in re simili loquitur Nobilis (l. 2. §. ult. in fin. ff. de Excus.) Ulpianus in l. 55. pr. ff. de leg. 3. sc. κατ' ἀνιδίαισιν κῶν

141. Diximus, fortuito casu; ne deturo occasio violandorum sepulchrorum, si etiam studiosè quæsitus inventusque thesaurus cederet inventori Quam rationem post Connan. lib. 3. comm. c. 4. n. 2. affert Harprecht. in §. Thesauros n. 6. l. h.

142. At locus religiosus si publicus fuerit, thesaurum dimidium inventor auferet, l. 3. §. pen. ff. de jur. fisc.

143. III. Si quis in Alieno loco thesaurum invenerit, dimidium ad dominum soli, & dimidium ad inventorem pertinet, §. 40. vers. At si. l. h. l. un. vers. quod si fortè. C. de thesaur. 10.

144. Hinc illustres pullulant quæstiones, at cum instituti nostri ratio non ferat, ut sigillatim omnes tractemus, colophonis loco huic capiti hanc unam apponere placet; An maritus in fundo dotali (etiam non æstimato dato, de hoc enim controvertitur) thesaurum inveniens, dividere cum uxore cogatur? Scrupulum injicit, l. 7. §. 12. ibi: sed pars ejus dimidia restituetur, quasi in Alieno inventi. ff. sol. matr. Attamen magis est, ut hoc constante matrimonio non obvineat. Maritus enim rei dotalis reverà dominus est, pr. inst. Quib. al. lic. vel non. l. 7. §. ult. l. 69. §. 8. l. 75. ff. de jur. dot. Add. C. I. A. lib. 23. tit. 3. th. 12. &

12. & seqq. Quicquid igitur hoc casu invenit, in suo invenisse dicendus est, & proinde totum suum facit, per tradita, *th. 134. & seqq.* Verum enim verò, quia soluto matrimonio fundus dotalis & mariti esse definit, & uxori restituendus est; ideò & pars dimidia istius thesauri, unà cum fundo, quippe jam alieno & restituendo, restitui & ipse debebit. *Dn. D. Bitsch. all. Tract. de Thesaur. th. 180. & seqq.* Cui & alia plurima hujus disputationis accepta nos referre, semel profiteamur.

145. XIX. modus est Traditio Quæ est possessionis translatio *l. 3. pr. ff. de Act. Empt. l. 8. C. eod. l. 28. ff. de V. O.* Et ideò de rebus tantum corporalibus, *arg. l. 4. §. 27. ff. de usurp. & usuc.* earumque dominio transferendo intelligenda est, *l. 9. §. 3. ff. h. t. l. 20. C. de pact.*

146. Requiritur autem ut tradens sit dominus. Nam non dominus, transferre dominium nequit, *l. 20. pr. ff. h. t. l. 54. ff. de R. L.* sed nihil interest, utrum ipse; an voluntate ejus tradat alius, *l. 9. §. 4. ff. h.* Quia quod quis per alium facit, ipse facere videtur, *cap. 72. de R. I. in 6. l. 180 ff. de R. I. l. 9. §. 2. ff. de Donat.*

147. Amplius requirunt jura etiam voluntatem domini rem suam in alium transferre volentis, *§. 41. I h. t.* Estque ea velut anima & forma traditionis, *Giphan. ad d. §. 41.* & à jure concessam potestatem præsupponit. Quia velle is videtur, qui non solum rem in alterum cupit, sed & qui potest, transferre *Obrecht. Disp. de Tradit. th. 14.* Unde eleganter *Gothofr. ad l. 4. ff. de Adq. hered.* Ubi non assistit juris potentia, voluntas est inanis & vacua.

148. Hinc & pupillos, *l. 9. §. 2. ff. de Auth. & cons. tut. & cur. l. 11. ff. h. t.* furiosos, *t. t. de Cur. fur.* & prodigos, *l. 10. pr. d. t. l. 6. ff. de V. O.* & similes, quibus alienatio rerum interdicta est, nec velle nec posse tradendo transferre dominium, manifestum est.

149. Ut & illud, quod nemo errans rem suam amittat, *l. 35. ff. h. t.* Nulla enim voluntas errantis est, *l. 20. ff. de Aq. & aq. plu. l. 15. ff. de jurisd. l. 9. C. de jur. & fact. ign. l. 116. §. 2. ff. de R. I.*

150. Sed & accipientis consensus maximè necessarius est. In omnibus enim rebus, quæ dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium, *l. 55. ff. de O. & A. & supra. th. 18.*

151. Quid ergò, si in corpus quidem & hinc alienandum illinc acquirendum consenserint aliqui, circa causam verò dandi atque accipiendi dissenserint, num dominio ex traditione acquirendo aliquod impedimentum erit? Julianus negat, *d. l. 36. vers. Nam & si,*

in fin.

in fin. Et non affirmat Ulpianus *in l. 18. pr. ff. de R. C.* Licet hos textus inter se pro more suo committat & eorum conciliationibus diffidat. Ant. Matthæi. *Disp. 5. th. 44. Colleg. inst. jur.*

152. Nos requirimus justam causam; quia nunquam traditio nuda dominium transfert, *l. 31. pr. ff. h. t.* At non utrinque specialiter eandem cogitatam requirimus. Sufficit enim in genere ab utraq; parte in translationem & acquisitionem dominii fuisse consensum *d. l. 36.* non sufficit si ab alterutra tantum parte *d. l. 18. Sic Clariss. D. Præses. Fasc. 19. q. 5.*

153. Diximus *supra th. 145.* Traditionem esse translationem possessionis; An vacuæ? ita sanè, *l. 8. C. de Act. Empt. & arg. l. 5. §. 15. ff. commod.* Hic autem animadvertendum, non illud quæri, an quocunq; modo sine possessione adquiratur dominium; sed an traditio sine ista perfici possit? Quod enim prius attinet, constat per legatum, *l. 80. ff. de legat. 2.* per successionem, *l. 11. ff. de lib. & posth. & simil. modos* rectâ viâ dominium transire, ut *d. l. 80.* ait. Posterius verò negamus meritò contra Donell. cum Bachov, *ad Tr. vol. 2. disp. 20. th. 4. lit. D. & Hunn. ad Tr. vol. 1. disp. 28. q. 28. quæ extat in Tom 2. pag. 151.*

154. Circulum acquirendi modorum claudat ultimus, Occupatio rei pro derelicto habitæ. Si enim rem mobilem sive immobilem pro derelicto à domino habitam occupaverit quis, statim is dominus efficitur, *§. 47. l. h. t.*

155. Pro derelicto autem habetur, quod dominus eâ mente abjecerit, vel omiserit *l. 2. §. 1. ff. pro derel.* (hoc est, & quoad dominium & quoad possessionem à se removerit; quod his verbis, *abjecerit mente,* significari, ait Bachov. *d. §. 47. & l. 43. §. 10. ff. de furt. l. 17. §. 1. ff. de Adq. & am. poss.*) ut id in numero rerum suarum esse nolit. *d. §. 47.*

156. Unde quæ navis levandæ causâ ejiciuntur, inventori regulariter non adquiruntur: quia non eo animo jacta sunt, quod quis ea habere nollet, sed ut periculum effugeret, *l. 9. §. ult. ff. h. t. l. 8. ff. de L. Rhod. de jact.* Ergo dominorum permanent, *dd. ll.*

157. Hinc quæsitum inter Veteres, si jactum ex nave alius tulerit, an furti teneatur? Et teneri eum, placuit Gajo, *d. l. 9. §. ult.* Quod sic interpretandum est, si occupans illud dolo malo intervertere fatagat. *arg. §. 7. & 8. Inst. de Obl. q. ex del. nasc.* Tim. Fab *disp. 14. Coroll. 6.*

158. Quid si derelipientis animo jactum sit? Tunc qui invenit, suum facit, nec furti tenetur, ut respondet Paulus *in l. 43. §. 11. ff. de furt.*

D

At

159. At quæ constabit illud? Hoc plerunque credendum est, cum sciat periturum, *d. l. 43. §. 11.* Ubi particula Cum, non conjunctio causalis vel rationativa est; ut Quia; sed certum casum indicat; ut Quando. Quod Jctis nostris non est infrequens. Et hæc ratione *d. l. 43. §. 11. cum d. l. 9. §. ult.* commodè conciliatur.

160. Ab his non longè videntur discedere, quæ de rheda currente non intelligentibus dominis cadunt, *§. ult. l. h. t.* idè & horum furtum committi potest. *per sup. tradita.*

161. Nec revelabit fraudulentum contrectatorem, quod, cujus ea res sit, ignoret: nihil enim hoc ad furtum minuendum facit, *d. l. 43. §. 4. ff. de furt.* Quilibet quippe scire debet, quod suum non est, hoc ad alios modis omnibus pertinere, *l. fin. C. Vnde Vr.*

162. Quod si verò bonâ fide quis tulerit quasi redditurus ei, qui desiderasset vel qui ostendisset rem suam, furti non obligatur, *d. l. 43. §. 8. ff. de furt.*

163. Hoc tamen casu *εὐπελῶς* non turpiter accipitur: etsi non probè petatur, *d. l. 43. §. 9. d. t. vide l. 4. §. 3. ff. de Cond. ob turp. caus.* Hactenus de Dominii adquirendi forma modisque.

164. Finis ipsius Dominii est, ut constitutâ rerum proprietate, scaturigines litium & contentionum obstruantur, *Wesembec. Parat. ff. h. t. n. 11. in fin.* Nam ipsius incertitudo est multarum litium seminarium, *Lessius, lib. 2. c. 3. dub. 3. n. 12. in fin. de just. & jur.*

Et ut nostrarum quoque litium sit aliquis finis, hanc disputationem hîc finiemus. Debebamus & de effectu, contrariis & aliis tractare: at cum vix sit futurum ut vel hæc theses omnes ventilentur, transcribere plures noluimus. Sufficiant igitur hæc præludia -----

----- artisq; crepundia nostræ.

Δόξα Θεῷ.

